

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

Tuscia sive Etruria.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

TUSCIA siue ETRURIA.



INITUR hæc regio duobus fluminibus, Tiberi ab Oriente; & Macra ab Occidente: Apennino monte vallatur à Septentrione: & mari suo, siue Tusco, à Meridie alluitur. Nam etsi, testibus Liuius & Polybio, ante Romanum Imperium constet eam latius patuisse, nempe ultra Apenninum, Atriam (vnde Atreatico mari nomen) vsque, postea tamen à Gallis inde expulsi, his limitibus cõprehensa fuit. Ex vndecim regionibus, quibus ab Augusto Italiam digestam scribit Plinius, septima hæc numeratur. Catonis Originibus quæ circumferuntur, hanc regionem diuidunt in Maritimam, (quam fertilem atque siluosam facit Vopiscus in Aureliano) Transciminiam, & Larthenianam. Iornandes & Marcellinus lib. 27. Annonariæ Tusciæ meminerunt; circa Pistorium oppidum. Urbicariæ etiam, Lib. de Limitib. An circa Romam hæc urbem? In duodecim ducatus distinctam fuisse, scribit Halicarnasseus, 6. populos nominat Liuius, 1. ad quod Virgilium adlusisse videtur, dum inquit, *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.* ex quibus communiter creato Rege, singulos singuli populi lictores dabant. Lucumones vocat Seruius, & Reges interpretatur 2. Georg. Duodecim coloniæ vocantur in dictis Originibus, Ianiculum, Arinianum ad Tiberim, Phesulæ, & aliud Arinianum ad Arnum, Phregenæ, Volce, Volaterra, Cariara quæ & Luna ad littus, Ogygianum, Aretium, Rosellæ, & Volsinium in mediterraneis. Hæc hoc ordine & nomine apud Volaterranum sunt, Luna, Pisæ, Populonia, Volaterra, Agyllina, Fesulæ, Russellana, Aretium, Perusia, Clusium, Faleria, & Vulfinia. Etruriæ xv. populorum meminit lapis antiquus qui Vulsinij exstat, teste Onuphrio.

Varia sortita est hæc regio nomina. Umbriam enim primò appellatam ex Plinio constat; qui tradit Umbros à Pelasgiis eiectiones; inde Pelasgiam dictam. Hos Lydi (vt idem cum Trogo asserit,) profligauerunt; à quorum Rege Tyrrheno Tyrrhenia nominata fuit. testibus Paterculo, Halicarnasseo, Strabone, & Liuius. Mox à sacifico ritu, lingua Græcorum, Tuscia cognominata. Sed & Rasena quoque, vt ait idem Halicarnasseus, à Duce quodam: pro quo corruptè, ni fallor, Razenua apud Myrsilum. Comara & Saleumbrone etiam, si huius farinæ scriptoribus, vt Pseudo-Beroso & Annio, credimus. A Phocensibus quondam occupatam, Herodoti Clio testis est. Phocenses, & Phocensem lacum habet circa Arnum fluuium, Antonini fragmentum. Siculos hanc quoque ante Pelasgos inhabitasse, Halicarnasseus 1. scriptum reliquit.

Natura regionis omnium rerum felix, etiam vitifera, vt prodidit Halicarnasseus. Sunt lati campi, collibus distincti, cultique admodum, & fertiles, teste Diodoro. Arboriferam & pecori pascendo aptam, fluuiisque irrigari testis est Plutarchus. Vbertate Soli sacratam, pronunciat Martianus; quæ fertilitas gentem non parum ad delicias impellit: sunt enim, inquit idem Halicarnasseus, molles victu ac cultu, domi militiæque: quippe qui præter res necessarias, luxus etiam & artificij variam supellecilem ad voluptates & delicias elaboratas quoque in castris circumferre solent. Sed & prædatricem, crudelem & inhumanam vocat Eustathius. Necromantiæ his studium tribuit Eusebius 2. Præpar. Geneticem & matrem superstitionis facit Arnobius 7. Dediti religionibus, vt qui sacrificia, diuinationes, & auguria primùm inuenerint, eaque Romanis tradidere; vt & fellam curulem, paludamenta, trabeam, togam prætextam, pictam, fascis, secures, lituos, apparitores, curules, annulos, phaleras, musicam, ludionesque: denique omnem ornatum triumphalem ac consularem, vel potiùs (vt Flori dicam verbis) omnia decora & insignia quibus imperij dignitas eminet. Statuarum quoque ænearum fusilium inuentionem his tribuit Cassiod. 7. Variar. numero 15. Hinc Romani pueros suos olim Etruscis, vt postea Græcis, litteris erudiendos dabant. Liuius, Strabo, & Diodorus. Tyrrhenorum inuentum tibiam esse, ad eamque non solum pugnare, sed etiam flagellis seruos cedere: item coquere, scribit ex Aristotele Iul. Pollux. De iisdem Plutarchus 8. Conuiual. hos ex veteri instituto dissipare stragula cum ex lecto surrexerint. ollis ablati, non relinquere in cinere vestigium, sed confundere. hirundines tecto non recipere. non transgrediebantur scopas. non aduncum vnguibus domi alebant. Voluptuosos tamen, parumque honestos eosdem vocat Thimon, apud Athenæum 12. ibi huius multa exempla, si quis iis delectetur, legere potest. item 4. apud eundem. Sed non possum hinc præterire hoc Heraclidis in Politis, nempe, qui apud hos æs alienum conflauerit, & non persoluat, sequuntur eum pueri gestantes vacuum marsupium, ignominia causa.

Etruscorum valde florentes opes olim fuere. Multum terra, plurimum mari pollebant: & bello Romanis pares. Gentem Italiae opulentissimam, armis, viris, pecunia esse, ait Liuius, cui suffragatur Diodorus. Horum regionem ab Alpibus ad vtrumque mare pertinere, auctor Plutarchus in Camillo. Trecenta Umbrorum oppida à Tuscis debellata reperiuntur, Plinio auctore. Et tanta erat opibus Etruria, vt non terras solum, sed mare etiam per totam Italiae longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum famâ nominis sui impleffet. Mantuam & Atriam Tuscorum colonias faciunt Plinius & Liuius; Capuam Pomponius & Paterculus; & idem Nolam, etsi Solinus hanc Tyriis, (malè, vt auguror, pro Tyrrhenis) Chalcidensibus Trogus & Silius tribuant. Immo Plutarchus de Virtute Mulierum, & in Quæstionibus Græcis, auctor est Etruscos hos quondam Lemnum & Imbrum insulas occupasse.

Tuscus vicus, in vrbe Roma: Tusculum, & Tusculanum in Latio, ab his nomen sumere. Item mare quod hos alluit, mare Tuscum vocatur, quod Inferum, Notium, Tyrrhenum, & Liburnum quoque dicitur, auctori- bus Plinio & Cicerone. Tyrrhenus sinus est etiam circa Puteolos Dioni. Sed sunt & Tusci, alij ab his, in Sarmatia, Ptolemæo: & Tyrrheni in Atticis insulis, si fides habenda sit Myrsilo Lesbio.

